



COLLOQVIA IVLIANA

quae Fori Julii
in aedibus Canusianis habita sunt
annis MM-MMI-MMII

OPVS FVNDATVM NICCOLÒ CANUSSIO

Claudius Pica
Joannes Carolus Rossi

COLLOQVIA IVLIANA

quae Fori Julii
in aedibus Canusianis habita sunt
annis MM-MMI-MMII



OPVS FVNDATVM NICCOLÒ CANUSSIO

C I V I D A T I

EX ORDINATRO CLAUDII PICAÆ

MMIII

Absque superiorum permissu

Rerum index

Num operae pretium sit usum linguae latinae retinere	5
De Nicolai Canusii libro	21
De Hispaniae imagine	29
De moneta Europaeorum	37

*Libellum hunc
memoriae Victorii Canusii
ex animo dicamus*

PROOEMIUM

Num operae pretium sit
usum linguae latinae retinere

Claudius et ego ibamus forte via Utinensi, nescioquid meditates nugarum, quum amica quaedam accurrit, quae munere librariae Venetiis fungitur, apprehensisque utriusque manibus salutatur et: «Salvi sitis, dulcissimi rerum!» – inquit – «vosne quoque conventui Canusiano intereritis?».

Cui quum nos non modo interfuturos, sed etiam oratiunculam latinam esse habituros significavimus, comiter gratulatur et ut de Alexandro Canusio,¹ cuius forma allecta esse videbatur, aliquid referamus rogat instanter; equidem ego prior sic exordium sumo: «Scito, amica mea, Alexandrum pendere septuaginta fere chilogrammata, centum septuaginta quinque centimetrum esse statura; duobus brachiis praeditum, oculis duobus, totidem cruribus; immo in eo pleraque corporis membra esse bina, paucis exceptis, quorum unum verecundi non est nominare; cutis color est praealbus, etsi in apricatione apud Hispanos infuscari solet...».

Tum Claudius, me interpellans: «Alexandri» – ait – «coma nigra, nigricantes oculi, lingua rubea; compositus is est ex ossibus et visceribus, nervis et venis, cerebro, arteria aspera, pulmonibus, corde, jecinore, stomacho, cistifellea, rhenibus...» et enumerando, ut mos est machinatorum, perrexisset usque ad multam noctem, ipsumque Celsum superasset doctrina, nisi eum amica continuo silere jussisset.

«Non haec» – ait illa fere stomachata – «rescire cupiebam, quae in quavis tabula anatomica invenire licet, sed vos rogavi ut

¹ Victorii Carolaeque filius, tertio loco natus.

Alexandri naturam et indolem, ejusque opiniones et animi motus significaretis: hominem quaero, non disiecta eius membra!»

O nos miseros, uno ore exclamavimus, in eandem foveam incidisse videmur, in quam magistri veterum linguarum saepenumero labi solent!

De ratione adhibita in argumentorum inventione

Verumenimvero, sicujus grammatici scholam audimus, perraro fit ut nobis linguae latinae natura, qualis in universum sit, aperiatur atque enarretur, sed statim membra ejus et lacerta singillatim, distinctim, meticulose, sive, ut uno utamur verbo, grammatice proponi videmus.

Grammaticus iste architecto similis esse videtur, qui, interrogatus cujus sit generis conclave, in quo excipi solent quotannis doctissimi quique a Canusiis, patere centum metra quadra respondeat, non id esse auditorium; vel etiam doctori machinali, qui percontanti aptane sit auditorii contabulatio ad tot hominum pondera sustinenda, ligneam eam esse fateatur ac pigmentis fuscis illitam; huic grammatico, paene dixerim, illud referri potest, quod in proverbii consuetudinem apud Tuscos jamdudum venit: Quo vadis? Sunt cepae!²

Atqui rhetores antiqui nobis tradiderunt, quibus viis sit ingrediendum, quo planius edoceantur, immo alliciantur ad studia, inde ab initio auditores; ex iis planissima chria est, qua cujus dictum vel factum exercitationis causa explicatur.

Vocabuli origo, ut compertum est, graecanica: χρεία, ex verbo χράομαι, “usum” significat; usui est enim tironibus chria; variae autem sunt chriarum formae, quas nobis grammatici tradiderunt, et

² Vern.: “Dove vai? Son cipolle!”.

plerumque in octo partes divisae: hae sunt encomium, paraphrasis, causa, contrarium, simile, exemplum, testimonium veterum, epilogus; tamen Thomas Aquinas chriarum ordinem paulo immutando hexametro ita descripsit atque conclusit: “Quis quid ubi quibus auxiliis cur quomodo quando”.

Iidem ipsi autem, quorum est litteras discipulis tradere, esse obli-ti artis rhetoricae in universum, generatim chriarum videntur.

Quamquam, qui merces praeconiis commendandas curant animosque emptorum subtiliter perscrutantur, ut intima eorum aucupentur desideria, iisdem chria probe nota est, etsi sub specie Britannica per duplex digamma expressa: *who, what, why, where, when*: sat est enim ad haec rogata respondere, ut non solum quis et qualis sit quisque facile dinoscatur, sed etiam ejus natura recondita et in intimam medullam velut insinuata perspiciatur.

Nos igitur, tanquam Romanorum sermonis praecones, id temptantes, quod magistri et grammatici plerumque praeterire solent in docendo, chria innixi explicabimus *quae* sit intima linguae latinae natura, *quid* ex ea consequatur, *ubi* excolatur latinitas, *quibus instrumentis* discatur, *cur* operae pretium sit scire latine, *quomodo* exerceatur usus, *quando* denique floreant aut jaceant studia latina; tunc vero, si apte ut est in votis argumentati erimus, e chria emerget utrum operae pretium sit an non sit hisce etiam temporibus latinitati studere et loquendi scribendique tueri consuetudinem.

Non omnia eadem tractabimus ratione, sed hic immorabimur, illic praetervolabimus, prout res ipsa suaserit.

De linguae latinae vivae nonnullis casibus mirabilibus

Quamquam, quum nostrum alter architectus, alter machinarius sit, uterque vix litteris imbutus, nolimus in praeceptorum tabernam, tamquam elephanti inter crystallos, irrumpere: haud semel enim nobis hujus nostri sermonis virtutes praedicantibus, quidam sive in

actis diurnis, sive in acroasibus, sive in conciliabulis maledixerunt.

Quinam fuerint rogamus? Nomina silebimus, quia peccata a peccatoribus, monente Sancto Thoma, distinguere placet, sed de nonnullis, quasi in encomion morias, mentionem habebimus; ceterum, quemadmodum nos, de istorum contumeliis conquerentes, monuit mulier doctissima, quae conventui Canusiano anno MMII interfuit, argumenta ab iis allata contra usum sermonis carent omnino fundamento epistemologico.

Primum dicamus oportet de diurnario, qui in ephemeride Catholicissima, qua Episcoporum opiniones referri putantur, nota censoria inussit apologiam linguae latinae, quam abhinc septem fere annis edidimus in commentariis “Micromega” inscriptis,³ chartamque, qua continebatur scriptum, dixit emporeticam, hoc est vilissimam ad sordesque proiciendam; forte fortuna alium, eumque scilicet vulgatissimum, chartae usum benigne reticuit...

Tum italicarum litterarum praeceptor in “Tabellario Vespertino” – qui commentarii diurni apud Italos “Corriere della Sera” audiunt – scripsit non esse viri serii latini sermonis usum tueri; quamquam idem iisdem in actis solet cotidie, in explicandis virorum mulierumque nominibus, etyma e fonte latino haurire: videlicet a suo privato dominio profanum vulgus arcere studet.

Etiam inspector quidam, studiis classicis olim addictus in Italicorum Ministerio Publicae Institutioni Procurandae, nunc demum rude donatus, item obiciens nobis, quod serii non essemus, epistolas quasdam, quas in latinum magis per jocosum quam serio verteramus, magistris, forte Venusii ante quattuor annos congregatis, in ludibrium, si non despiciatui, ostendit.

Alii eo venerunt, ut adversa Victorii Canusii voluntate sermocinationes latinas a conventibus, quibus intersunt historici et littera-

³ Cfr. Giancarlo Rossi, *Apologia pro lingua latina*, in “Micromega”, 5, 1996, p. 195 ss.

ti, semovendas esse censerent; sed operae pretium ducimus memorare etiam quid effutierint legati Regionis Langobardorum, qui legem de tutandis studiis latinis latam, mense Februario proxime praeterito pluribus suffragiis antiquarunt:⁴ alius negavit esse unam linguam latinam, neque liquere cui sit studendum, utrum classicae, quae aetate Ciceronis vigeat, an cadenti, an renovatae; alius asseveravit populum flocci facere fontem et originem linguarum dialectorumque; alii legi refragati sunt, causam praetexentes ut suasor non tam consulere bono publico, quam sibi auram favoris popularis captare vellet, quasi hoc non ad omnes ferme leges pertineret.

Atqui in legis verbis ac litteris, quae singulariter non modo italice, sed latine quoque erat in acta relata, argumenta afferebantur, vix a quoquam refellenda, quae inferius exscribimus, ut eorum hic saltem resideat memoria.

Linguae ex historia cultuque civili populorum proficiscuntur.

Lingua latina nimirum nostri cultus civilis religionisque vivax est et expressa imago, Italiae Europaeque alta ac firma radix, singulare instrumentum quo multarum rerum scientia traditur, templum denique quoddam in quo populi diversi concordia et pace probabiliter conversantur.

Haec est causa cur in mundi plaga ad occasum vergente his nostris temporibus denuo vigere coeperint quum litterarum tum et linguae latinae studia, neque solum apud gentes, quarum sermo neolatinus est, verum etiam in tota Europa atque in ipsis Foederatis Americae Civitatibus multum industriae ponitur in antiquis linguis discendis inquirendis.

Quanti vero momenti sit latine atque graece scire est in aperto: utriusque enim linguae scientia cunctas disciplinas perdiscimus, quibus ad humanitatem informari solemus; subtilius atque curiosius historias legimus atque intellegimus; memoriam antiquitatis colligimus custodimus complectimur, sine qua nulla rerum cognitio, nulla sui ipsius perceptio.

Qui enim latine docetur, ei est integrum proxime ad litteras et artes accedere, quae ab antiquitate quasi fundamenta humanitati nostrae praeclare iacta sunt.

Qui vero cogitatione linguam latinam comprehendit et usu exercet,

⁴ Haec lex lata a Silvia Ferretto aliisque Regionis consiliariis mense Aprili a. MMII, d. XXV Febr. mensis a. MMIII est antiquata.

non modo in syntaxi morphologia lexico tractandis acrioris fit iudicii, sed etiam scribens vel loquens italice, apta verborum structura totam orationem contexere assuescit.

Quo autem plures hac nostra aetate in artibus informaticis versantur, eo minus lingua latina, quasi electi eruditique gregis sermo proprius, existimari debet: immo vero ea est habenda quasi vox in ore hominum denuo resonans, qua ratiocinandi dicendique facultates docemur et ad humanitatem large liberaliterque informamur.

Etenim vero latine discentibus nobis non solum litterarum artiumque ingenuarum praestantia facile agnoscitur, sed verborum quoque vis, quibus utimur cotidie, elucet et sermo ipse patrius ditatur.

Quae quum ita sint, legem rogamus, quae eo spectat ut denuo eruatur litterarum thesaurus qui nobis ab antiquitate latina hereditate venit; itaque aerarii Regionis pecuniam suppeditare decrevimus in ludos, instituta seu publica seu privata, circulos atque consociationes eruditorum, sodalicia hominibus formandis, quaecumque scholas de lingua cultuque latino aperuerint.

Etsi argumenta probabilia, nostra quidem sententia, fuerunt, legatis Langobardis persuaderi non potuit ut legem sancirent, neque eorum animi commoti sunt grandiloqua conlegae oratione, quae suaserat legem: latinitatem non esse emortuam, at, licet insciis nobis, vigere nobiscumque in ipsa vita cotidiana conversari... vigere nobis inclusam medullis, vigere nostris in sermonibus et dialectis et legibus et monumentis, vigere omnibus in plagis Europae, nosque monere Europaeorum cultum civilem non tam inniti eodem rei nummariae fundamento, quam quodam communi diuturnoque vinculo, quod ad politioem humanitatem pertinet, contineri... oportere denique ut schola non respiciat tantum Industriam quaestuosam, Imitatio Anglicae consuetudinis, Interretis abusum – triplicem “I” appellant – sed etiam “C” triplicem assequatur, scilicet Culturam animorum, Cernendi facultatem, Cogitandi consuetudinem.

Sed his missis, quae quasi calculos e calceamentis excussimus, oportet redeamus illuc unde sumus digressi chriamque explicemus.

Quae sit lingua latina

Lingua latina, hoc quidem tirones doceri in initio velimus, duobus est notis insignis: alteram interiorem seu genetivam appellemus, quae ad ipsam linguae structuram pertinet; alteram extrisencam, quae saeculorum decursu hominumque usu est ei velut insculpta.

Nota interior est structura synthetica, ut ajunt, seu morphologia flexiva, cui complures viri docti studuerunt, inter quos placet memorare Vidonem Bonelli, qui anno saeculi modo elapsi primo et octogesimo Augustae Taurinorum libellum edidit, cui titulus *Structura significationum atque enuntiatorum ordo in lingua latina*.⁵

Hic tamen satis esto verbis uti Caroli Egger abbatis primatis,⁶ scriptoris pontificii, latinitatis Vaticanae luminis, qui nuper fere nonagenarius e vita excessit, cujusque memoriam juvat hic recollere; ille enim in colloquio anno MCMLXXXV Romae in Aedibus Riarii habito, totam rem praecise, ut mos fuit ejus, eleganterque perstringens: «Recte ais» – inquit – «esse linguam latinam syntheticam, quae ab analyticis linguis aliquanto differt; in his enim inest singulis vocabulis tantummodo significatio lexicalis; in illa signum lexicale cum relationis signo, ut grammatici ajunt, coalescit ideoque unicuique vocabulo duo insunt notiones: cum, verbi gratia, dicimus “patris”, notioni lexicali qua significamus “parentem” adicimus genetivi notionem, qua vocabulum ad alia vocabula refertur cum iisque, nulla addita particula, significanter coniungitur».

Quae est autem *nota extrinseca*? Historiam mente repetamus: lingua latina ab exiguis profecta initiis – fuit enim pastorum latro-

⁵ Guido Bonelli, *Struttura del significato e ordine frasale in latino*, Giappichelli, Torino 1981.

⁶ Carolus Egger, abbas primas canonicorum regularium Sancti Augustini, quondam praefectus Officii Latini in Urbe Vaticana, operis fundati Latinitati tuendae provehendae praeses emeritus, scriptor pontificius, lexicographus, verborum perelegans novator, natus est Vipiteni anno MCMXIV, diem supremum obivit apud Germanos Kalendis Septembribus a. MMIII.

numque incondita dialectus – tam late manavit ut spatio mille annorum totum Romanorum imperium amplecteretur; quo collapsa, non est omnino extincta, quemadmodum Persarum vel Aegyptiorum contigit linguis, sed tamquam ad metam secundam, ut ait Augustinus, veniens, novam vitam vivere coepit, in qua constabilita ac fere nullis obnoxia mutationibus, universis hominibus munera sua in perpetuum donare perrexit.

Atqui emortuam appellant! Certe ita nonnulli sentiunt, praesertim inter palaeophilologos et politicos.

O singularem sceleris societatem: hi auram favoris popularis captantes, cives malunt in obsequia principum quam ad humanitatem formare; illi, quorum est τοὺς μὲν λόγους φιλεῖν, φιλοῦσιν δὲ τὰς καθέδρας, quas politici dispertiunt, neque ideo unguem transversum ab illorum opinionibus discedere videntur.

Atqui emortuam appellant! Esto sane, iis assentiri placet: si enim latina est emortua, emortuae sunt etiam omnes linguae sacrae, veluti vetus arabica, hebraica Bibliorum, graeca Byzantinorum, palaeoslavica, samskritica, quae a nullius gentis ore nativo pronuntiantur, sed suaviter resonant in templis innumeris atque in toto orbe terrarum dispersis.

Item emortuae sunt linguae auxiliares, quas appellant, ut esperantica, a centenis hominum milibus adhuc usurpata, vel suaheliana, per Africam omnium vulgatissima; est emortua ipsa anglica lingua, immo rudis et corrupta pidginanglica, seu mercatoria, quae, quamvis maximae hominum parti communis, nullius tamen gentis, nedum Anglorum vel Americanorum, est sermo patrius.

Atqui emortuam appellant unam latinam tantum isti scioli mali-voli, isti Zoili mordaces!

Quid ex linguae latinae natura consequatur

Ex natura synthetica «sequitur ut ordo verborum multo liberior sit, quia mutua eorum relatio non e certo loco, quem tenent in enuntiatis, sed ex exitibus pendet»; ita Carolus Egger.

Etenimvero idem valent “pater filium amat”, “filium amat pater”, “amat pater filium”: ordine mutato, non mutatur patris amor erga filium neque commutatur cum filii erga patrem amore; aliter, ut patet, fit in linguis analyticis.

Si autem ordo latinus tam varius est, ut liceat ubilibet nomina et verba in enuntiatis collocare, oportet ut totum verborum circuitum percurramus, priusquam significata mente comprehendamus; sensus enim non enodatur per gradus, sed velut per saltus explicatur neque antea deprehenditur, quam ad extremam periodum, ferme uno anhelitu, veniamus.

Quo brevius praecidam, intelligentia nostra, dum legimus aut audimus, exspectare quodammodo iubetur, dum cunctae periodi partes sint collectae atque uno in conspectu positae.

O mirum! Per linguam latinam formamur ad quandam ἐποχήν, praecipitem iudicii cursum refrenamus, non acquiescimus in prima fronte, qua saepe decipimur, sed intus et in cute inspicere discimus, novam nempe induimus cogitandi rationem, quae quasi Christi praeceptum repetere videtur, monentis ne quemquam iudicemus, iudicari si nolimus ipsi.

Ecquid amplius?

Haec ἐποχή, haec iudicii dilatio vere mentes nostras acuit, haec intellectus curiositatem incendit, haec denique non solum ad aliorum sententias rectius interpretandas, verum etiam ad agnoscendas fallacias ac fraudes instrumentum nobis solidum subtile salutare praebet. Videtin quam multa nobis intrinseca linguae natura praestet?

Quid autem de extrinseca, seu, ut planius dicam, de historia?

Sed hoc, verum ut fateamur, plerique magistri solent discipulos

docere, at eosdem velimus firmiter, studiosius, diligentius, ardentius: linguam nempe latinam esse ingens lautumque patrimonium, quod hereditate cunctis hominibus venit; esse tabularium paene infinitum, in quo scientiae artes litterae continentur; esse operam summo et exquisito artificio elaboratam, qua ad pulchri sensum informamur; parentem esse linguarum romanicarum aliarumque nutricem, sine qua litterae, quibus quique populus merito gloriatur, nedum gustari, at vix intellegi queunt; esse perpetuum domicilium hominum clarorum, qui ante nos fuere, in quo nobis, immeabile aevi limen transgressis, licet disputare cum Tullio et Seneca et Erasmo et Vico; amare cum Catullo et Capellano et Pio II; ridere cum Plauto et Petronio et Poggio; flere cum Vergilio et Sannazaro et Pascoli; credere ac philosophari cum Augustino et Thoma; cum Tertulliano et Alagherio et Julio II et Luthero rixari; imaginari cum Apuleio et Thoma Moro; discere cum Valla et Comenio et Vivesio et Forcellinio; cum Vitruvio et Leone Baptista aedificare; perorare cum Heineccio et Gravina; cum Catholicis, iis saltem qui ante lithurgiae immutationem instituti sunt, Deum precari; delectari certe cum omnibus.

Praecise ut dicamus, si sermonem Americanorum omnes consentimus vehiculo esse similem, quo quaevis locorum intervalla facile superamus – ejus enim usus patet in toto orbe terrarum – ecquis infitietur Romanorum sermone nos vehi trans aevum, haud secus ac machinamento transtemporario, de quo ficta scientia futurorum in fabulis narrare solet?

Ubi discitur latine?

Ubi latinitas excolitur? Brevi dici potest! Uno verbo, immo, syllaba una: hic! Intus in nobis! Nam in interiore homine habitat latinitas: sat est pulsantibus fores aperire.

At si loca quaeritis ipsa, visitate gymnasia ubi linguae veteres

secundum naturae rationem explicantur ac traduntur: ibi videbitis adulescentulos non modo ita erudiri, ut mox valeant scripta sive latina sive graeca legendo interpretari, verum etiam scholis ipsis prae-ter consuetudinem delectari, id quod vix quis credat!

Ut afferamus duo exempla, quorum testes ipsi sumus, in Umbria, ubi plerique praeceptores methodo Horbergiana utuntur,⁷ scholares interrogati quam materiam maxime diligenter, unanimi consensu eam esse linguam latinam significarunt! Ac quidem apud Venetos discipuli, eadem instituti methodo, qui ex omnibus provinciae Vicentinae gymnasiis in auditorium maximum Aesculeti⁸ urbis confluxerant, audita interpretatione latina quorundam locorum, qui et ex Dantis Comoedia⁹ et ex Sponsis Manzonianis¹⁰ et, mirum, etiam ex fabula cinematografica “Blade runner”¹¹ inscripta erant excerpti, statim textum primaevum, unde fluxerat versio, agnoverunt.

Ecquid plura? Sed ordo institutus postulat ut per chriae gradus ad finem pergamus.

⁷ Cfr. H.H. Ørberg, *Lingua latina per se illustrata. Pars I: Familia Romana*, apud Museum Tusculanum, Hauniae MCMXCVII; Id., *Lingua latina per se illustrata. Pars II: Roma Aeterna*, apud Museum Tusculanum, Hauniae MCMXCVII.

⁸ Aesculetum, seu Asclendum, vulgo Schio.

⁹ Loci sunt isti: «Vitae emensus iter medium nostrae in ora sensi / luco obscura nigro delapsus; nam via recta / exciderat mente. Heu quam res est dura referre» (Gaetano Dalla Piazza, *Dantis Comoedia*, ms., in Bibliotheca Bertoliana, Vicentiae). «Culti cordis Amor dux, forma hunc impulit uri / dein mihi praerepta; qua nece pungor adhuc. // Me, quia reddit Amor, cum quisque amatur, amantem, / vulnere percussit, quod patet usque dolens. // Ambos mersit Amor: dirum, a quo vita perempta est / nostra Caina manet. Talia Verba data» (Giovanni Ambrosi, *Dantis iter in Deum*, Salvati, Torino s.d.).

¹⁰ Cfr. Aemilius Springhetti S.J., *Latinitas Perennis. Exercitationes Variae Stili Latini: “I Promessi Sposi”*, Romae, apud Pontificiam Universitatem Gregorianam, capp. I-VIII: «Ramus ille Larii lacus, qui ad meridiem intra duo continentia montium juga vertitur...».

¹¹ «Equidem vidi res... quas vos mortales ne imaginari quidem potestis... vidi naves loricatas flagrantes trans arces Orionis.... vidi ignes coortos e tenebris prope

Quibus instrumentis discitur latine?

De instrumentis quibus facilius discamus latine, non est ut multa dicamus sententiamque nostram tricolo includimus: usus, usus, usus! Usus est enim magister optimus, ut inde ab antiquitate omnes grammatici nos monuerunt;¹² neque vero nostra interest utrum potior sit habenda docendi ratio inductiva an deductiva, utrum per grammaticam veniatur ad scriptores, an a scriptorum lectione normae deriventur, dummodo linguae simul ac mentes exercentur, quemadmodum Joannes Baptista Pighi ante trigintaquinque ferme annos monebat, cujus verba videtur referre: «Nullius rei cognitionem capimus nisi per systolen et diastolen; sed utrum hac an illa incipiamus, nil refert, dummodo incipiamus; utrum diastole an systole finiamus, nil refert; hoc vero interest, ut cognitio vigeat; neque vigebit, nisi rationem deductivam cum inductiva alterne coniunxerimus».¹³

Hic tamen amplius non immorabimur, ne quasi Barbari in civitates eruditorum ingruamus, sed illud tantum Quintiliani repetimus, dicentis plus valere usum citra doctrinam, quam doctrinam sine usu.

Cur autem vacemus huic linguae?

Non quod sit necesse, sed quia operae est pretium scire latine: hoc proclament inde ab initio magistri! Quicquid enim laboris in discendo susceperimus, uberrima nobis usura rependetur.

Nam qui latine didicit, plura scit, quam ut et ipse suspicetur, et,

portas Tannhauseri... et illa temporis momenta elabentur in aevum, quasi lacrimae in imbres... Tempus est moriendi» (fabula cinematographica edita anno MCMLXXXII).

¹² Cfr. M.T. Ciceronis *De Oratore liber primus*, 4, 15; *Pro C. Rabirio Postumo oratio*, 4, 9.

¹³ G.B. Pighi, *Perché si insegna il latino?*, in *Didattica del latino*, Signorelli, Roma 1955.

id quod maxime interest, sensim ac sine sensu ad humanitatem formatur: etenim iudicium meditate profert; praedictis opinionibus diffidit; prima rerum facie non fallitur; difficilius veteratoribus vel blateronibus fraudatur; serit sermones cum optimis quibusque hominibus, qui anteacta aetate floruerunt; ex historiae tabulario quicquid libuerit celerius expromit; emendatius uberiusque sermone quoque patrio scribit et loquitur; litteris artibus scientiis pariter delectatur; e mancipio denique fit ingenuus, quippe qui ingentem naturam suam agnoscens, illud γνῶθι σεαυτόν, quantum per mortales stat, in sucum et sanguinem convertat.

Sed alia est causa cur latine discamus: praeter vulgatam opinionem, multo plures ii sunt, qui magni hunc nostrum sermonem faciunt, quam qui despectui habent.

Quotiens audivimus clericos non tam ritus vernaculis linguis celebratos summis laudibus efferentes, quam veterem spernentes liturgiam, quoniam populo non placeret?

Quotiens philologos vel administratos audivimus affirmantes studia classica in eburneis eruditorum turribus segreganda esse, quod populus alia studia spectaret?

Falso dixerunt utrique! Neque vero hoc temere asseveramus sed certis probabimus argumentis, iisque indagine innixis, quam instituto demoscopico "Directa" nuncupato Sodalitas Latina Mediolanensis¹⁴ ante sex annos mandavit.

In ea vero non agebatur de ritibus sacris, qui quantopere cordi sint populo, non indiget argumento, quum manifesto pateat ex innumeris phonodiscis cantus Gregorianos continentibus, quos monachi Benedictini Hispani in toto orbe terrarum vendiderunt, sed de lingua latina in cultu civili retinenda.

¹⁴ Sodales primum coacti sunt Buxeri, in amoeno Langobardiae pago, anno MCMLXXXVI, tum Mediolani in caupona statis intervallis convenire coeperunt, dein adsciti in Circulum Philologicum Mediolanensem, bis in mense congregari solent, ut inter se variis de rebus disserant latine.

Verum enim vero institutum illud demoscopicum, mille Mediolanenses, in universae civitatis exemplum selectos, interrogavit, quid de re latina sentirent, responsisque collectis ordinatis pensis, multa rettulit, quae vix sunt credenda: nam quamvis tamdiu tamque acerbe et undique impugnata, lingua latina adhuc in summo honore a plerisque habetur!

De hac vero indagine Administrum Publicae Institutioni Procurandae docendi essent, quo accuratius novum instituant scholarum ordinem, si umquam deterreri possent, quominus in lyceis linguae priscae abolerentur.

Sed veniamus ad responsa civium: ex centum Mediolanensibus, quinquageni bini arbitrantur in scholis discipulos in universum esse informandos ad humanitatem, non ad certa tantum munera exercendos; sexageni bini linguam latinam perutilem esse ad civem ipsum Europae formandum sibi habent persuasum; triginta centesimae partes optant ut institutio latina in scholis medii ordinis reintegretur; vigintiquinque lubenter linguam latinam ut communem Europaeorum sermonem asciscerent. Haec hactenus.

Quomodo exercetur usus linguae latinae? Quando?

Restat ut quomodo doceamur latine et quando florent aut jaceant studia dicamus; sed paucis chriam absolvemus: modos namque, quibus instituantur discipuli, non architectus neque machinarius sed, ut par est, magistri explanent, qui novas methodos in scholas induxerunt et quid quaeque in formandis adulescentulis valeret, sunt experti.

Studia denique humanitatis, quorum linguae latina et graeca firmissimum sunt fundamentum, languent sub praepotentium dominatu, in libera civitate florent: hinc haud exigua meditandi materies; hinc fortasse causa cur ii, penes quos in Curiis Legumlatorum auctoritas, cujus sunt cumque partis, seu dexterae seu sinistrae favent factioni, in scholis vix ullum sermonibus Romanorum

Graecorumque spatium relinquendum duxerint: ane metuunt isti ne in libero populo atque ad humanitatem formato imperia legum potentiora sint quam hominum arbitria? Si ita res habet, nempe operae pretium est scire latine!

Joannes Carolus Rossi
Idibus Septembribus a. MMIII

De Nicolai Canusii libro

CLAUDIUS PICA - Quum liber, de quo dicturi sumus, scriptus sit ab atavo Victorii Canusii, cujus cura typis est nuper impressus,¹ oportet pauca in Victorii nostri memoriam praeponamus, qui nos, quamvis indignos latinitatis alumnos, diligere ac fovere haud semel est visus.

Primum ideo referre velim quomodo et quando nos ambo et Victorius mutua simus amicitia coniuncti.

Abhinc ferme decem annos, scitote enim, illi nos amica quaedam exhibuit, cujus maritus, medicus et ipse, de nostris inceptis rettulerat: coegisse nos Mediolani gregulum eorum, qui sperantes contra spem consuetudinem latine loquendi scribendique retinere student; sodalicium nostrum in Circuli Philologici sede² semel in mense congregari solere; argumenta varia a sodalibus agitari, quae ad cultum civilem plerumque pertinent; more porcellorum de grege Epicuri, acroasibus admisceri convivium et computationes.

His auditis continuo Victorius domum suam nos invitat, quae tunc sita erat ad Sancti Ambrosii, cenam opiparam ac bene lautam, ut mos est Canusiorum, praebet, percontatur Sodalitatis Latinae Mediolanensis incepta, animum suum aperit.

Memini nos varia et multiplicia attigisse sermocinando, nec solum egisse de usu linguae latinae, sed etiam de tauromachia, qua

¹ Niccolò Canussio, *De restitutione patriae*, Casamassima, Udine 1990.

² Circuli Philologici Mediolanensis sedes est: via Clerici 10, 20121 Milano; capsula electronica: circolo@filologico.it

valde se delectari est ille confessus; de gentis Canusiae historia, quae nedum a Caesaris, certe a Caroli Magni temporibus originem ducere perhibetur; de arte medica, quam studiose Victorius profitebatur; de Europa denique firmiter in latinitate fundanda.

Ille etiam dixit velle se et librum de Cividato, a Nicolao, atavo suo, conscriptum, foras dare, et aedes, in quibus Canusii usque ad saeculum XIX degerant, redimere, reficere, exornare.

Candide ut fatear, tunc nobis magis Victorius visus est somnium somniare, quam consilium suum felicem in exitum deducere posse, at forte fortuna ejus Uchronia, ut ita dicam, suum *καίρὸν* est nacta: spatio enim decem annorum non modo aedes restituit librumque edidit, verum etiam constituit domicilium historiae litterarumque, quo posteritas diu frueretur.

Siquidem nos amicum, certe Musae mecaenatem invenerunt, quem amissum acerbè lugemus!

JOANNES CAROLUS ROSSI - Et ego de Victorio lubenter aliquid adicerem; qui tamen, si hic adesset, a nemine laudari se pateretur; talis enim erat ejus indoles, ut rabulas obiurgaret, dispiceret blaterones, assentatores sperneret et arceret; immo vero putabat bene facta non egere praecone, neque homines, sed opera loqui debere.

Etenim hoc ejus opus, quasi domini complexu nos fovens, multo significantius pro eo loquitur, quam valeat quis orator; ideo Victorium non praedicabo multis verbis, quae aegre ipse tulisset, sed versiculo uno, quo concluditur epos in libellos Nicolai Canusii a Quintio Aemiliano Cimbriaco compositum; quum enim, o Victori, tuos manes inter nos semper esse mansuros credamus, tibi ex animo hoc tantum dicimus: *Tu vivas decies decem sibyllas!*

Nunc autem redeamus ad res, de quibus est nobis agendum.

De libro, quem de restitutione patriae Nicolaus Canusius exeunte saeculo XV composuit, ejus abnepos Victorius quadringentos fere post annos describi, emendari, typisque imprimi atque edi jussit,

jam multi subtiliter ac luculenter nuper dixerunt; hic autem ego velim, quasi praeco, suadere vobis, quicumque forte eum nondum legistis, ut librum hunc ematis, in quo non modo multa continentur scitu digna, sed etiam editoris ars quaedam eximia deprenditur; liber enim, qui centum quinquaginta paginis constat et spisso integumento est contextum, plurimis imaginibus exornatur, quod raro fit hisce temporibus, quibus editores sumptibus parcere solent; characteres autem nitidi sunt, paragraphi apte dispositae; praeterea textus ipse manu scriptus perbelle phototypice expressus est in extrema voluminis parte, et adiecta prooemia duo, non minus docta quam jucunda, alterum Pauli Mantovanelli, alterum Caesaris Scalon; codicem, ut vobis innotuit, exscripsit atque in italicum vertit Marius d'Angelo.

De laboribus typographicis autem oportet tu, Claudii, dicas, quaes rei notitia.

CLAUDIUS - Repetamus sane libri primi capitulum decimum:

Romanum eloquium in nostram usque aetatem exsulans delituit, quod impressorum cura nondum plene potuit integrari... Verum... habenda gratia scriptoriae opificibus artis, quorum munere prostrata suscitantur ingenia.

Nicolaus artem typographicam plurimi facere videtur, siquidem, ut ait, typographi bene meruerunt de litteris latinis, quas ex finibus Italicorum diu exsultantes revocarunt; quae verba infeliciter non solum illis temporibus referri, sed nostrae quoque aetati possunt, qua studia latina jacere omnino videntur.

JOANNES CAROLUS - Eo magis est Victorius noster laudandus, qui atavi vestigia premens, eloquium Romanorum redintegrandum intra fines Europae, quasi novae patriae, praeter opinionem doctorum, esse censuit! Sed operae pretium est alium ejusdem capituli locum recitare.

Italia bellorum jactata turbinibus, veterem inde exuta senectam, barbarie praesidente, in alienos mores coeperat inquinari.

Non dubito quin idem sentiret Victorius de Europa: commune enim Europaeorum domicilium constitui non posse existimabat, nisi, depulsa barbarie, fundamento certo firmoque litterarum esset innixum... sed video Martam Sordi mecum consentire.³

CLAUDIUS - Agitur enim de caritate erga patriam, quam Nicolaus ita dilexit, ut abnepos Victorius linguam litterasque latinas; vere enim Victorius latinitati favebat, ut aperte profitebatur, nihil timens eruditulos emunctae naris, sed erat ab omni artis rhetoricae lenocinio alienus, quibus litteratores nonnumquam indulgent.

JOANNES CAROLUS - Quamquam atavus ampullas sermonis non fugit.

CLAUDIUS - Aliquid certe est inter hujus et illius indolem, uterque tamen impense dilexit patriam.

JOANNES CAROLUS - Hoc quidem concedo, at numquam Victorius genere dicendi asiano usus esset, quo Nicolaus; audi sane:

[...] adsum julii alumnus simul ac suffragator hereditariis patriae laudibus tuae occursurus historiae, quas ipse praeteriens obliquata cervice subnervasti.

Quanta species et pompa dicendi ! Quam turgida et inflata oratio!

CLAUDIUS - Etenim propter suum genus scribendi difficilis nempe est Nicolaus: saepe enim oportet paulisper immorari, dum legimus, ut plane intellegamus quid ille sibi velit, nec solum vocabula vario-

³ Marta Sordi, historiae professor emerita in Atheneo Catholico Mediolanensi, Operis fundati Canusiani consultrix princeps.

ra et exquisita de penu Apuleii vel Gellii depromit, sed etiam verborum comprehensionem affectat, perplexam, contortam, trajectionibus scatentem, figuris pullulantem, pingue quiddam et inauditum sonantem; ipsa vero ratio cogitandi interdum legentem fatigat!

JOANNES CAROLUS - Neque vero constans sibi est: modo enim Plinium redolet, modo Apulejum, modo Florum, modo etiam Augustinum, sed saepius Graecos, propter crebrum participiorum usum, non ita a latinis frequentatum, imitari videtur.

Ceterum ei maxime antiquitates placent, sive vocabula prisca et exoleta aucupatur, sive Romanorum monumenta e terra fodit, ut ipse libro primo narrat:

[...] in novandis aedibus, dum scrobes excavantur, reliquiae ex triplici ruina oppidum celebre fuisse testantur, ut alibi marmoreas deprehendimus tabulas Romanorum nomina caesim inscriptas, quos accolae fuisse loci nulla potuit obliterare vetustas.

CLAUDIUS - Scilicet antiquitatum studium atavum cum abnepote coniungit, qui has aedes, in quibus perbelle conversamur, ita restituit, ut e terrae cavernis moenium fundamenta aetate Romanorum jacta eliceret, restitueret civibusque, interiecta contabulatione vitrea, mirum in modum ostenderet.

JOANNES CAROLUS - Uterque etiam fabulis amatoriiis delectari solebat: ut noster enim de Venetis poetis, qui non minus salse quam salaciter mulieris naturam praedicarunt, narrabat lubenter, sic atavus de Romulida, Cividati ducissa, pulchre rettulit, quae

[...] hostem forma conspicuum, vivida juventa, micanti pectore, crispoque crine umeros inumbrante... e moenibus conspicata, mox ejus flagravat cupidine, inque postremum libidinis absumpta prolubium, nil ultra consilii capiens, quam ex nefando toro concubitum, sceleri quod cogitavit accingitur, quo liberum voluptati concederet spatium.

Sed de Romulida fuse docteqe alii dixerunt, quam ut hic amplius immoremur; nobis tamen, mentionem mulierum incipientibus, placet memorare Victorium fuisse germanum Epicuri asseclam.

CLAUDIUS - Recte ais; diligebat enim Orius voluptates, dummodo, teste Epicuro, cum natura congruerent.

JOANNES CAROLUS - Dummodo purae essent.

CLAUDIUS - Et necessariae...

JOANNES CAROLUS - Et necessariae et naturales... ceterum naturalia, ut venit in proverbii consuetudinem, non sunt turpia.

Sed redeamus ad Nicolai librum, nequid temere in tanta eruditorum corona de Epicuri philosophia effutiamus.

Locum proponam, e capite XVI libri primi excerptum, in quo deprenduntur et exemplum hypotyposeos et Apulei quaedam imitatio:

Diluculante subinde Aurora, quo excitarentur atque evibrarentur animi, buccinarum clangor exercitum utrumque in bellum accivit. Nec segnus, ubi pulsis tenebris nox ivit in diem, hinc et inde ab instructis aciebus concurritur. Julienses igitur pertinaciter pugnam ineuntes haud modica strage hostes affecerunt. Inde Cakanus pugnam redintegrans copias alias passim succenturiabat.

CLAUDIUS - Barocum paene dixerim ejus genus scribendi; viden ut vocabulis perraris utatur: diluculans, evibrare, succenturiare...

JOANNES CAROLUS - De hoc multa disputari queunt, sed ruit hora, Claudi; oportet finem dicendi faciamus.

CLAUDIUS - Recte mones; antea tamen velim locum recites de pontis mole bino arcu coniuncta, quem invenies in capitulo decimo libri secundi; pagina est CVIII.

JOANNES CAROLUS - Pontem majorem seu Diaboli pontem appellant Forojulienses, qui anno saeculi decimi quinti XLII incohatus, anno LX perfectus est; sed audiamus Nicolaum.

Parentes vero nostri... sublicii ex ilice pontis opus Caesareum demoliti ex imoque fluminis medio lapidem molem insurgentem educentes, cui superpondium omne pontis incumberet, exceso lapide bino arcu continuato, pontem adfabre factum ea impensa et arte reddidere, ut ipsum prodigiosis pyramidum spectaculis valeas adaeque demirari.

Teneo causam cur hunc locum selegeris, Claudii. Nobis enim datur ansa quum laudandi architecti, cujus opera aedes hae, in quibus benigne sumus excepti, egregium in modum sunt restitutae, tum et Victorii memorandae liberalitatis.

Quem ad modum enim ad reficiendum pontem Franciscus Clarecinus «et virtute et genere inclitus, ut erat dapsili liberalitate ingenuus, auri nummos centum ex crumena deprompsit» – verbis utor Nicolai – ita Orius noster, ut Forum Julium novo opere exornaretur gentisque Canusiae proderetur memoria, pecuniam suam large benigne liberaliter occupavit.

At munificentiam Victorii, cui haec omnia debentur, coram vobis laudare supervacaneum esse ducimus.

a.d. IX Kal. Oct. a. MM p.Chr.n.

De Hispaniae imagine

JOANNES CAROLUS - Gratias vobis agimus, quod copiam dicendi in tam docta corona fecistis; quamquam nisi suus linguae latinae locus datus esset, valde metuo ne benigni Victorii nostri manes noctu dormientes nos in lectulo invisuri pedesque extracturi fuissent: probe enim nostis omnes quanti ille existimarit sermonem Romanorum, quantaque industria et alacritate eundem usque ad extrema mundi limina propagare contenderit.

Nunc de munere nobis iniuncto a Carola Canusia, cui gravis et luculenta Victorii hereditas obtigit: ut in pagellis, quibus ordo rerum triduo agendarum continetur, scriptum vidistis, mandatum est ut de Hispaniae imagine, qualem veteres scriptores adumbrarunt, diceremus.

Ex ipso titulo facile conicitur tam late patere materiam, ut vix prudentissimus quisque inter historicos valeat eam in breve cogere; verumenimvero etiam vos, qui diu multumque hic disputastis, summatim, quamvis docte ac subtiliter, res exposuistis, nec vero spatio centum annorum omnia quae pertinent ad Hispaniam, terram ingeniorum feracissimam, disseri possunt.

Quae quum ita sint, mutavimus rationem acroasis nostrae, et eam in quandam exercitationem scholarem convertimus, quemadmodum Claudius mox explicabit.

CLAUDIUS - Vos nobis, qua estis benivolentia erga pusillos linguae latinae cultores, ut de imagine Hispaniae diceremus proposuistis: argumentum sane majus quam pro viribus nostris! Nos vero, qui-

bus est compertum quam artis limitibus circumscribatur doctrina, siqua est, nostra, non imaginem ipsam adumbrabimus, sed rationem ac viam, qua de imagine probabiliter disseratur.

Fingamus ergo animo esse alumnum monendum, cujus sit dissertationem academicam scribere de Hispaniae imagine; fingamus ei non esse otium, quo tam variam ac multiplicem materiam indagando comprehendat; fingamus denique esse nos artis rhetoricae studiosos. Quid ergo ei suadeamus? Ut ad illam rationem argumentandi deveniat, quae antiquitus frequentata, tempore exolevit, quamquam adhuc simulata specie adhibetur. Quae sit haec ratio quaeritis? Rem aliunde repetam.

Nonnulli vestrum fortasse meminerunt illius fabulae cinematographicae quondam a Francisco Capra editae, cui titulus “Accidit noctu”. In eam inducitur ephemeridum scriptor, cujus partem Clark ille Gable agit, Claudiolam Colbert de arte diurnariorum docens. Siquid vis, inquit ille, in actis diurnis apte scribere, oportet ad quinque rogata respondeas, quorum prima littera duplex est V: *who, what, why, where, when*.

Tamen hoc artificium jam suaserat saeculo XIII Sanctus Thomas Aquinas, qui in Summa Theologica (II, I, Qu. 7, A.3) septem esse rogata idonea ad argumenta invenienda statuit, et eadem, quo quis praeceptum facillime animo mentique mandaret, hoc exhametro astrinxit: QVIS QVID VBI QVIBVS AVXILIIS CVR QVOMODO QVANDO.

Rhetores hanc quaerendi argumenti viam appellarunt chreiam, sive chriam; vocabuli etymon enim, a verbo χράομαι deductum, usui esse chriam ostendit.

Nos igitur – illuc unde sum digressus redeo – alumno illi, quem mente nobis finximus, suadebimus, ut chriam adhibeat, qua argumenta perbelle in ordinem digeruntur; sed videamus singulas chriae partes.

Quis? Videlicet dissertationem scribit alumnum academicus, qui primas in chria partes agit.

Quid? Tractandam is suscipit imaginem Hispaniae.

Ubi? Apud veteres scriptores latinos locos aptos inveniet.

Quibus auxiliis? Machina computatoria videlicet, siquidem ei non est otium infinitos libros in bibliothecis volutandi.

Liquetne quidnam sit machina computatoria? Quoniam enim est vocabulum recens in linguam latinam inductum, nonnulli vestrum fortasse exploratum non habent, qua de machina agatur.

JOANNES CAROLUS - Fortasse, Claudii, aptius ordinatoriam appellemus oportet machinam illam, seu, ut quidam volunt, ordinatrum, quod vocabulum, ignotum veteribus, nuper confictum est in similitudinem aratri. Ceterum ita eam vocant significantius elegantiusque Hispani et Galli, qui suam consuetudinem loquendi diligenter retinent neque sunt aeque ac Itali, qui "compiuter" quasi excreantes effutiunt, invecticiis Americanorum moribus obnoxii.

Sed ad chriam redi, Claudii, unde te averti.

CLAUDIUS - Machina ordinatoria, inquam, fretus alumnus inveniet locos qui e scriptorum Romanorum operibus exstant de Hispania.

Cur? Quia ita est imperatum a praeceptore qui argumentum disertandi selegit.

Quomodo? Fortasse nonnulli vestrum meminerunt ante viginti ferme annos Humbertum Eco librum scripsisse de componenda dissertatione academica:¹ sat est ut alumnus illius praeceptis et consiliis obtemperet, quae non jam exoleverunt, quantum ipse sentio.

Quando? Scilicet tempore ab Academiae moderatoribus praestituto.

Hic tamen interest quomodo ordinatro loci apti ab alumno facile inveniantur, qui forte temporis prematur angustiis.

Nam instrumento indicibus colligendis ordinandis – sic etiam

¹ U. Eco, *Come si fa una tesi di laurea*, Bompiani, Milano 1977.

machina illa designari potest – vel tabulario electronico celeriter seu bonae seu malae fruges comparantur, non tam pro ratione programmatum, quibus quis utitur, quam pro cuiusque calliditate ac doctrina; si enim alumnus ille numeris aut indiciis contentus fuerit, quae ex machina extraxerit, neque investigarit subtilius accuratiusque, numeros tantum et indicia sibi habebit, nihil addiscet, nihil proficiet.

Stultae sunt enim, ut ajunt, machinae ordinariae, neque quicquam edunt, quin quaesitum sit.

Audite enim, exempli gratia, quid nos de Hispania in thesauro scriptorum latinorum usi ordinatro invenerimus:² vox “Hispania” in casus sive nominativum sive ablativum inclinata, occurrit ducentis tricis septies; casus genitivus et dativus centies nonagies semel; accusativus nonagies quater; omnino vocabula cum Hispania coniuncta, velut Hispanicus, Hispaniensis, occurrunt praeter propter sescenties.

Quid porro? Numeris tam accurate collectis, num aucta est scientia nostra? Non ita vero! Tum autem investigavimus quae enuntiata saepissime occurrerent, si forte doctiores inde evaderemus. Ecquid invenerimus rogatin? Multa scilicet scitu dignissima: ex Hispania hic venit, ad Hispaniam ille proficiscitur, in Hispaniam Cicero putat sibi esse eundum, Cato bellum gessit in Hispania... sed nihil inventum est de Hispania ipsa, nisi pauculi illi loci selecti, quos vos, mulieres eruditissimae, vos, doctissimi viri, his diebus pertractastis.

Forsitan quis dubitet de computatri utilitate... sed video nondum nos de imagine Hispaniae egisse; quomodo, Joanne Carole, hospitibus morem geramus, qui tale quippiam exspectabant? Satin fuit, tua sententia, orationis rationem immutare atque de chria agere?

² *Thesaurus Linguae Latinae* (CD-ROM), K.G. Saur edidit, Monachii MMII (www.saur.de).

JOANNES CAROLUS - Recte mones ut morigeremur hospitibus, qui e longinquis sedibus huc successerunt. Itaque thesauro electronico relicto, saeculorum seriem transgressi veniamus ad Laurentium Valla, patricium Romanum, linguae latinae restitutorem acerrimum, qui saeculo XV tres libros de Ferdinandi regis historia scripsit, quasdam adumbrans passim Hispaniae imagines: ipse pro nobis dicet.

Nam ex ejus libris nonnullos locos selegimus, quorum lectione ita vos delectatum iri arbitramur, ut facile nobis ignoscatis, si pares muneri non fuimus.

Hi libri, anno MDXXVIII prelo Ascensiano editi, amplius non sunt typis impressi neque eos, quantum comperimus, quisquam commentatione instruxit, quemadmodum patet ex duobus voluminibus, omnia Laurentii opera complectentibus, quae Augustae Taurinorum anno saeculi superioris LXII, curante Eugenio Garin,³ iterum edita sunt anastatice in apotheca Erasmiana.

Utinam exstet quam primum vindex tanti viri, qui non solum cuncta ejus scripta critica ratione recenseat et edat, sed etiam commentetur et interpretetur !

At Laurentium ipsum audiamus. In proemio ille explicat qua de causa historia quum philosophiae tum et poesi praestare videatur, laudatque historicorum accuratissimam sagacitatem, qui in eruenda veritate, sunt aequandi iudicibus, qui verum et justum deprehendunt, aut medicis, qui morbos provident et curant. Finem proemii imponens his verbis utitur:

Haec nos in universum ad commendationem historiae historicique satis est esse praefatos: de praesenti autem materia, aut de me privatim dicere nihil sane visum est. Sed quum de Hispano rege locuturus sum Ferdinando, qui primus e Castella regno Aragoniae potitus est, aliquid de ipsa Hispania altius repetam.

Sinite autem nos hos locos dicare Jacobo Montero et Joanni

³ Cfr. L. Valla, *Opera omnia*, a. c. di E. Garin, Bottega d'Erasmus, Torino 1962.

Joachim Caerols Hispanis, quorum sermo, fortasse omnium proximus latino, suave admodum hoc in auditorio modo resonuit.

In primo libro Laurentius asseverat esse Hispaniam caput Europae: nam quum Europa sit caput totius orbis terrarum, consequi ut Hispaniam totius orbis esse caput fateri liceat.

Quae autem est causa cur Hispania sit Europae caput? Quia vergit ad occidentem solem,

[...] nihil obstante quod de dignitate orientis opponitur. Nam nullius rei principium est suo fine praestantius. Neque alibi prius oriuntur tenebrae, quam ubi prius orta est lux. [...] Oriens videt primum solem quasi florentem, occidens postremum quasi fructiferum: illi dant lumen, nos accipimus.

Ita Vallensis; nos quidem, praesertim quum controversiae inter nationes occidentis et orientis plagae in bellum his temporibus erumpere videantur, de hoc reticere malumus, ne addamus oleum, ut ajunt, camino.

Alium nunc locum recitabo, ex quo nonnihil emolumenti venit nobis qui latinitati vivae favemus:

Hispaniam [...] Romani cum rerum potirentur, in duas divisere provincias, Citeriorem Ulterioremque. Quarum utraque suas regiones certis distinctas finibus ac vocabulis habebat, quae hodie paene mutata sunt, ut necesse habeam, quum praesentibus futurisque hominibus scribam, non priscis nominibus uti, sed nostro saeculo ac jam longa aetate usitatis: si ab omnibus legentibus intellegi velim, ut veteres quoque ipsos video factitasse.

Elegantiarum exactor ille in antiquis scriptoribus imitandis modo, atque in ipsa consuetudine iudicio opus esse censebat.

Igitur Hispania cujus partes regionesque magis quam urbes alia sortita sunt nomina, non tam quinque in regna dividitur, quam quinque regibus paret, Castellae, Aragoniae, Portugalliae, Navarrae, Granatae. Multo omnium latissimum est Castellae, quod obversum fere Oceano duobus veluti brachiis, Portugalliam Granatamque complectitur, sinistra Granatam, in mediterraneo mari, dextro Portugalliam, quod est multo longius.

In Castella ex omnibus potentissima est Ispalis, quam vulgo Sibiliam

dicunt. [...] In Granata urbs ejusdem nominis, quae regioni nomen dedit, olim vocata. Ab interno autem mari secundum Carthaginem incipit regnum, quae ab urbe Valentia, sicut de Granata diximus, nomen accipit, quia caput regni est, omnium Hispaniae urbium, ut fertur, amoenissima, olim Romanorum colonia. [...] Sed in mediterraneis multo plus possidet Catalonia, cujus metropolis quidem est Terracon, celeberrima vero Ilerda, validissima autem atque pulcherrima Barcellona.

Hic autem velim, sit venia audenti, historicos qui nos benigne audiunt monere et hortari. Τὸ ἦθος et τὸν λόγον historiae fundamenta nuper asseverastis: quibus cur leporem adiciendum esse non putatis? Quin veterum consuetudinem repetitis, qui non solum eleganter et polite, sed poetice opera sua scripserunt? Nonne historia opus oratorium maximum?

Hac nostra aetate intra artos limites opera sua continere historici malunt, adeo ut siquis historiam litterarum aspergat dulcedine aut fabularum romanensium rationi accommodet, is non habeatur dignus ut annumeretur doctis Clivis alumnis et quasi vilis diurnarius spernatur.

Estote, oro vos et obsecro, poetae! Utile dulci miscete! Sitis denuo stili effectores, ut Cicerone meo utar;⁴ egent historiis homines, sed ut eos moneatis alliciendi sunt lepore ac venustate. Exempla certe non desiderantur: ubertas lactea Livii, brevis aculeata Sallusti, Taciti ferula fulminea, ut lumina tantum nominem, in promptu sunt nosque non minus docent quam delectant et ad humanitatem formant.

At nisi antiquissimos quosque repetere juvat, qui ipso nobilitatis pondere avertunt conantes ab imitatione, en habete Laurentium Vallensem, cujus vocem modo audisti per me post saeculorum silentia hoc in auditorio denuo sonantem.

Sed tempus est finem huic acroasi imponendi; antea tamen,

⁴ Cfr. M.T. Ciceronis *De oratore*: «Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister» (I, 33, 150).

velim duos locos etiam gustetis, cujus acerbum splendorem non est qui non admiretur:

Erat operae pretium videre in tanta hominum multitudine, quae terga dabat aut prosternebatur, non unum armorum colorem, sed unum vestimentorum aut duos. Siquidem non alia veste amicti erant quam rubra venetave, aut ex ambobus discolore. Multi de rupibus, vel a turba arctante deiiciebantur, vel ipsi se deiiciebant, quorum alii nuda humo diffracti, alii cotibus lacerati, alii vepribus confixi innexique visebantur. Multi se ferarum ritu in dumos abdebant et quum manus hominum vitant, eo se immergunt, unde sine hominum subsidio emergere non possint. Nullus in servitutum acceptus, nulli pepercit ferrum nisi mulieribus, quae cum in via, tum vero in castris et ultra castra captae sunt.

Paucis postea diebus, cum odor cadaverum, aestivo calore adiutus, infectaret castra, non modo praesenti fastidio, sed etiam periculo in posterum pestilentiae, dux praecepit ut tracta unco et in acervos collecta succenderentur. Ex quo intellectum est, quod diuturna consuetudine didiceramus, non plurimis lignis opus esse ad cremanda humana cadavera, prasertim, ut tum erat, incocta et adipibus quae defluebant, nonnihil alimenti flammae praebentibus.

His perlectis, dum novum bellum impendere putatur, oportet ut ne nos quidem dediscamus quam atrox sit hominem occidere!

a.d. III Kal. Oct. a. MMI p.Chr.n.

De moneta Europaeorum

JOANNES CAROLUS - Quum mandatum nobis sit munus de nummis nuper in Europaeorum usum ex Moneta communi cusis dicere, quaedam ex nostra Moneta, ut ait Seneca,¹ quantula ea est, proferemus. Quid ergo de pecunia? Uber est materia atque argumenta varia et gravia et aleae plena, quae quidem in utramque partem disputari queunt. Etenim vero ego et Claudius, dum Forum Julii² petentes iter lentissime facimus – via erat oppleta vehiculis cursusque impeditus – diu cogitavimus quae essent coram vobis de hoc disserenda; quum autem non simus rei nummariae periti, fines terminosque huic oratiunculae constituimus, ne in campos patentes nobisque ignotos excurreremus, et intra certos quosdam limites continebimur, ut decet pusillos latinitatis alumnos, qui consuetudinem loquendi scribendique retinere in tanta temporum calamitate conantur.

Itaque visum est potissimum referre de nonnullis vocabulis, ad monetam pertinentibus, quibus uti ii solent, qui adhuc latine inter se sermocinantur, sed quaedam etiam in universum considerari ac praeponi posse putavimus: primum num exstaret mundus sine pecunia, tum an esset pecuniae natura diabolica, demum quae ratio inter latinitatem et nummos europaeos intercederet.

¹ «Iam tempus est quaedam ex nostra, ut ita dicam, moneta proferre» (L. Annaeus Seneca, *De Beneficiis*, III, 35, 1).

² Italice Cividale, rhetoromanice *Cividâl*, latine sive *Cividatum*, ut appellatum est media aetate, sive *Forum Julii* ab antiquitatum studiosis.

Singula brevi videamus. Nullus exstare perhibetur locus in orbe terrarum sine pecuniae usu, nisi in commenticiis civitatibus vel in insulis Utopiis, quarum incolis, ut quidam scriptores sunt imaginati, victus omnibus gratuito praebetur. Quamquam comperimus utopiam in topon quodammodo conversam esse in circulis periegetarum qui Mediterranei nuncupantur: ibi enim, quoad quis fruitur otiiis feriatis, pecuniam suam in circuli arcam conferre tenetur ejusque nummi permutantur conchis vel pilulis, quibus solis ad obsonandum uti licet. O falso creditam et ementitam Utopiam! Alio certe spectabant philosophi qui nova quaedam Saturni regna saeculis XVI et XVII et XVIII adumbrarunt!

Aliis vero, uti scimus, qui haud secus atque Utopistae erant aversi divitiis mercaturisque, pecuniam diaboli stercus, neque fortasse immerito, appellare placuit.

Quo tamen varietur sermocinatio haec nostra, velim tu Claudii, antequam ad vocabula transeamus, reliqua persequaris, disserens de stercore diaboli et de latinitate nummisque europaeis.

CLAUDIUS - Paucis quaestionem de diaboli stercore definiam: quae ratio intercedit inter pecuniam in universum consideratam et nummum europaeum, qui nuper est percussus? Inter omnes constat et Lutherum et, ante eum, Catharos diabolicam pecuniam appellasse, quibus ipse assentiri mihi videor; nolo tamen eorum sententias hic defendere, quas multis argumentis confirmatas sumo, sed quaero tantum utrum novus nummus europaeus sit et ipse stercus diaboli, an non sit; si recte interrogamus, ut fit in syllogismis, concludamus oportet esse eum quoque stercoreum: nam pecunia ipsa per se est Satanae fimus; nummi europaei pecuniae genus quoddam novum sunt; ergo nummi europaei sunt Diaboli excrementa.

Fortasse miramini quod tam acerbe et quasi decretorie dixi, ut mos est meus, cui omnium ad unam sententiarum consensus semper fuit suspiciosissimus, sed fateor me moleste tulisse quod novum

istum nummum cuncti quasi sacrosanctum, ne dicam divinum, laudant praedicant venerantur.

Quodsi Europaeis re vera prodest unam eandemque monetam percussisse, ratiocinando asseverent, probent argumentis, quae certe non desiderantur, at verba ne dent nobis oro et obsecro, argentum pro deo venditantes, neque novum fori idolum colendum civibus exhibeant.

Sed syllogismos philosophis, nummos oeconomiae peritis relinquamus sane, et ne diutius producat sermo hic noster, videamus siqua ratio inter latinitatem et nummum novum forte intercedit; dicam quam brevissime: quantum ipse sentio, subest utrique notio vinculi; ut enim quondam linguae latinae commercio Europaei, patria sermone religione moribus diversi, quasi civili nexu obligati sunt ac sociati, ita nunc usu unius ejusdemque monetae foederari ac devinciri posse putantur: sed illud pro certo habemus, hoc est probandum.

JOANNES CAROLUS - Tibi plane assentior – puto enim fuisse praeposterum antea nummos quam res publicas in unum confundi – sed bene speremus oportet: hoc fuit enim initium, neque nos fugit ecquid eruperit a pastorum vico exiguis profecto initiis.³

Nunc autem, ut erat praestitutum, agemus de vocabulis recentioribus, quibus res nummariae appellantur.

Incipiamus ergo ab ipso nummo europaeo, quem grapheocratae Bruxellenses uno eoque fixo atque immutabili nomine ubicumque gentium nuncupari jusserunt, nulla ratione cujusque linguae habita.

Etsi nonnulli auctores fuerunt ut vocabula latina repeterentur,

³ «Quid enim futurum fuit, si illa pastorum convenarumque plebs, transfuga ex suis populis [...] agitari coepta esset tribunicis procellis...» (T. Livius, *Ab Urbe condita*, II, 1).

velut aureum, scutatatum, libra, illi novum nomen “euro” imposuerunt, quod neque in casus inclinaretur, neque formas plurales acciperet. Roma locuta, causa finita! Forte fortuna apud populos excultiores, nec tam pronos ad mores peregrinos accipiendos, praevaluit usus, et analogiae non anomaliae est obtemperatum: equidem ego ab Hispanis, Lusitanis, Britannis audivi “euros” enuntiari, quotienscumque de pluribus nummis mentio habebatur.

Contra apud nos Italos, qui sermonis integritatem flocci facere solemus, dicto potentiorum quasi servum pecus audientes, “euro” sive singulariter, sive pluraliter dicimus. Quin etiam ipsa Academia a Furfure, cujus fuit quondam incorruptam loquendi consuetudinem tueri, novum vocabulum “euro” plurali numero carere, aequae ac nonnulla vocabula recens usu recepta, velut “radio” “video” “tele”, asseveravit.

Atqui si recte rem perpendimus, vocabula in exemplum a Furfureis allata iccirco numero plurali carent, quia sunt, ut ajunt, truncata; derivantur enim a vocibus compositis, quorum pars posterior est detracta: “radio” a “radiophonia”, “video” a “videoschermo”, “tele” a “televisione”. Quidnam euro cum istis?

Quicquid id est, locutores radiophonici et televisifici, qui dant normam loquendi, singulari semper numero dicere coeperent “euro”, ac populus, qui sponte “euri” pluraliter dixisset, huic per-versae consuetudini brevi obsecundavit.

Itaque nunc ad centum nummos significandos, Itali non dicunt “cent’euri”, ut suadeat quicumque pannos Arni aqua elutriavit, sed non minus *κακοζήλιαν* quam *σολοικίαν* ostentantes, “cento euro” hiscunt.

CLAUDIUS - Liceat mihi aliter ac tu sentire; apud Italos, uti scis, non modo verba obruncata, sed etiam vocabula peregrina plurativo carent numero: dicendum est enim “gli sport”, non “gli sports”, “i golpe”, non “i golpes”.

Mihi quidem vocabulum “euro” peregrinum sonat, quippe quod sit non ab ore populi profectum, sed a grapheocratarum mentibus excogitatum; itaque pluraliter numquam ego hoc verbi portentum, ut extrinsecus arcessitum, dicam.

JOANNES CAROLUS - Noveram jamdudum magnum te cepisse odium grapheocratarum, sed istis magis quam tu refragari videntur nationes, quae vocabulum, ut ais, peregrinum aptantes, per analogiam suum fecerunt; haec est causa cur ipse, cui non minus quam tibi est invidiosa grapheocratia, malim dicere analogice “gli euri”, quam anomalice “gli euro”, ut temere ac, paene dixerim demagogice, imperatum est.

CLAUDIUS - Concedo tibi anomalia interdum laedi auriculas tereiores, illudque repetere fortasse juvat Caesaris monentis vocabula insolentia tamquam scopulos esse vitanda;⁴ sed his nugis missis, veniamus oportet ad provinciam latinam. Et hic, ni fallor, diverbia, dissensiones, discidia...

JOANNES CAROLUS - Recte memoras; alii enim aliter novum nummum latinitate donarunt: sunt qui dicant euronem, qui eorum, qui euronum, necdum res vertit in consensum.

Vocabulum euronis, tertiae declinationis sicut “Cicero, -onis”, induxerunt viri docti qui bis in hebdomada e statione radiophonica Finnica nuntios latinos emittunt;⁵ euronem, sive etiam euro-

⁴ Cfr. C. Julii Caesaris *De Analogia*, in Gellii *Noct. Att.*, I, 10, 4: «Vive ergo moribus praeteritis, loquere verbis praesentibus atque id, quod a C. Caesare, excellentis ingenii ac prudentiae viro, in primo de analogia libro scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, ut “tamquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum”».

⁵ Cfr. <http://www.yleradio1.fi/tiede/nuntii/horarium.php>

nium, adhibent etiam scriptores “Vocis latinae”,⁶ qui commentarius quater in anno Saraviponti apud Germanos prodit in lucem. Contra autem in Urbe Vaticana initio dubitarunt utrum eorum an euronumum usurparent, sed mox vocabulum euronummi aptius visum iis est, qui in Officio Latino scriptoris interpretisque munere funguntur.

CLAUDIUS - Quid tute de hoc censes, Joanne Carole? Quomodo in latinum hujus nummi nomen esses ipse interpretatus?

JOANNES CAROLUS - Equidem ego eorum, neutri generis, simplicius dixissem; nonne enim in lexicis jam continetur Eurus, masculini generis, ad ventum qui e meridianis plagis perflat appellandum?

CLAUDIUS - Certe si etymon respicimus – Eurus cum urendo coniungi putatur – idem verbum non minus belle calido Volturino, quam pecuniae referri potest, cujus aviditate homines uri solent.

JOANNES CAROLUS - Adiecisti causam probabilem cur novum nummum eorum appellem latine.

Nunc autem reliquum est ut duo vobis vocabula de re nummaria proponamus, quae ab antiquitate recepta necessario sunt in novum usum detorta. Prior dicam ego de inflatione; tum Claudius de moneta chartea.

Proprie vocabulum inflationis ad medicos pertinet et quum cibo, tum et corpori, vel corporis membris, ut stomacho, intestinis, praecordiis referri solet: etenim, ut ait Seneca, «in nostris corporibus cibo fit inflatio»;⁷ tralaticie tumorem animi significat, ut plerumque a Christianis scriptum videmus; tamen ineunte saeculo

⁶ Cfr. <http://www.uni-saarland.de/fak5/stockmann/voxlatina>

⁷ Cfr. L. Annaeus Seneca, *Naturales Quaestiones*, v, 4, 2.

vicesimo verbum inflationis aerarii periti nova auxerunt significatione, ut causam adumbrarent cur mercium pretia excandescere in dies viderentur.

Quod phaenomenon quomodo reddatur latine? Lexicographorum variae sunt sententiae.

Orestes Badellino⁸ suadet «nimiam copiam nummariae rei» et «nimium rei nummariae auctum», sed rem non tam presse ac significanter exprimere videtur; Antonius Bacci cardinalis,⁹ omnium Ciceronianissimus, «chartam nummariam nimiam ac vilescentem», «chartae nummariae nimiae ac vilescentis editionem», «nummariae chartae nimietatem» proponit: omnia nempe pereleganter, sed prolixè; apud scriptores Vaticanos recentiores, quorum vocabula novata collegit digessitque Thomas Mariucci,¹⁰ inter alia inveniuntur «inflatio monetalis», «inflatio nummaria», «pecuniae inflatio», «inflatio rei nummariae», et idem Caroli Egger abbatis verbis utitur, cui «[...] videtur verbum inflationis induci posse ad rem novam per traslationem significandam: eo enim apud veteres scriptores tumor in corpore, apud christianos auctores tumor animi, seu superbia significabatur»; in *Lexico recentis latinitatis*¹¹ denique inveniuntur «rei nummariae nimietas», «nummorum inflatio», «nimius rei nummariae auctus».

Haec de inflatione monetali hactenus; tuum est Claudii de scidulis, quibus pro nummis utimur.

⁸ O. Badellino, *Dizionario Italiano-Latino*, ed. spec., Rosenberg & Sellier, Torino 1964.

⁹ Card. Antonii Bacci *Lexicon vocabulorum quae difficiliter latine redduntur*, Societas Libraria "Studium" edidit a. MCMLXIII.

¹⁰ T. Mariucci, *Latinitatis nova et vetera, de sermonis Romani virtute*, Fondazione Latinitas, Città del Vaticano 1991.

¹¹ *Lexicon Recentis Latinitatis*, Libraria Editoria Vaticana in Urbe Vaticana, a. MCMLXXXII, I, A-L.

CLAUDIUS - De charta nummaria saepenumero disputarunt viri docti ineunte saeculo vicesimo, quomodo ea esset latinis verbis exprimenda; ut enim inter omnes constat, antiquitas nummos cudebat aeneos, argenteos, aureos, sed alias etiam materias, sicut membranam vel codices cera illitos, adhibuit ad perscriptiones et syngraphas, quae tamen ad privata negotia pertinebant.

Qui vero, quasi Bembus vel Nizolius aut Sadoletus renatus, aurea Tulli vestigia premere velit, is chartam nummariam, qua nunc pro nummis utimur, appellabit "perscriptionem nominis publici" vel aliquid simile, rem non tam definiendo, quam describendo; at certe moveat risum mercator, incorruptae latinitatis assertor, qui quinque nummulos poscens, ne a Cicerone suo discedat, effutiat "cedo quaeso summam quinque sextertium nomine publico in scidula perscriptam".

At ne ipse quidem sicut ille mercator multus fiam, brevi recensebo quid quisque philologus annorum decursu proposuerit: Marianus¹² chartam nummariam, Cognasso¹³ nummos chartaceos, Dumaine¹⁴ schedulam argentariam, Lucianus¹⁵ Rei Publicae syngrapham, Joveus¹⁶ scidinummiam tesseram, alii alia; sed mentione mihi dignus videtur Ioseph Maria Mir, qui in primo congressu linguae latinae vivae reddendae, Avennione anno saeculi superioris LVI coacto, proposuit «schedinummi». ¹⁷

Ego quidem, in tanta vocabulorum ubertate, arbitror integrum

¹² C. Mariano, *Nuovo dizionario italiano-latino*, Società Dante Alighieri, Roma 1961.

¹³ L. Cognasso, *Colloquia latina*, SEI, Torino 1936.

¹⁴ C. Dumaine, *Conversations latines*, Tralin, Paris 1930 (ed. III).

¹⁵ L. Luciano, *Nuovissimo vocabolario fraseologico italiano-latino*, Paravia, Torino 1940.

¹⁶ Sic Joveus in "Alma Roma", XIV, 49 (1927).

¹⁷ Cfr. Iosephi Mariae Mir CMF, *Nova verba latina*, in aedibus librariis Claret, Barcinone (X, 5, 17).

esse cuique quolibet uti, dummodo pro orationis contextu consularatur brevitati ac perspicuitati.

Quid tu de hoc, Joanne Carole?

JOANNES CAROLUS - Mihi quidem placet Mirianus schedinummus, sed fateor me raro eo uti; tecum autem consentio dandam esse cuique optionem utrum malit hoc vel illud vocabulum, dummodo perspicue et presse et, adiecerim, eleganter dicat.

Quamquam, uti notum est, inter homines litteratos saepissime oriri solent de rebus futtilibus controversiae, neque facile alius alius opinioni concedit et acquiescit: legite sultis commentarios latinos, vel epistolas, sive typis editas, sive per reticulum informaticum $\epsilon\gamma\kappa\upsilon\kappa\lambda\acute{\iota}\omega\varsigma$ dispersas, et videbuntur vobis grammatici Alexandrini remeasse e Campis Elysiis atque iterum de analogia et anomalia disputare, de significatione verborum disceptare, de optimo genere interpretandi altercari, de ratione docendi tirones digladiari.

Praeterea grammatici saepe jurgio inter se contenderunt: sat esto memorare Thomam Vallaurium nostratem, qui acroasi anno MDCCCLXVIII facta¹⁸ laceravit Ferdinandi Schultzii grammaticam, quam putabat

[...] de industria studiosis iniungi, ut implexa oratione irretiti, innumeris divisionibus illaqueati, minutis quaestiunculis implicati teneantur, et jam inde a primis initiis tamquam molesta latinae grammatices elementa fastidiant.

Nos quoque, qui consuetudinem loquendi scribendique latine non modo intra parietes domesticos mordicus retinere, sed etiam in luce et foro tueri conamur, saepenumero laceraverunt jurgiis et praeceptores et paedagogi et diurnarii, sed quid hoc ad nos? Quintilianum

¹⁸ Cfr. Thomae Vallaurii *Acroases factae studiis auspicanis litterarum latinarum in R. Athenaeo Taurinensi*, ex officina S. Bernardini, Senis a. MDCCCLXXXV.

enim, grammaticorum principem, consequemur, monentem plus valere usum sine doctrina, quam citra usum doctrinam.¹⁹

Tempus est ut finem dicendi faciamus; quum autem huic coetui intersit Michael von Albrecht, fulmen latinitatis, velim eum rogare quid sentiat de consuetudine latina: estne ea adhuc retinenda, an omnino mittenda?

MICHAEL VON ALBRECHT - Ego quidem eam retinendam esse puto et gaudeo quod vos latina lingua utimini tam eleganter; velim etiam et vobis gratias agere et dominae Martae, quorum gratia hic salvi sumus et salva quoque est lingua latina.

a.d. IV Kal. Oct. a. MMII p.Chr.n.

¹⁹ Cfr. Quintiliani *Institutio Oratoria*, XII, 6, 4.

